Quaestio Med. Quodlibetarijs disput. exagit. In Scho. medic. die Jouis 26° Janu.

D. Henrico Viscot Doctore medico, Prudentissimo Disceptatore.

An hydropi ab hepate Phlebotomia et Paracentesis?

Hydropis ascitae et tympaniae una communis idea cernitur in abdomine uniformi, quod illic aquâ repletum est, hic autem spiritu flatulento distentum. Utriusque distinctio atque notitia comparatur; illius quidem à fluctuantis aquae strepitu, dum abdomen movetur; huius verò à sonitu quem edit pulsatus aer qui est intra pellem collectus, qualis pulsato tympano exauditur, nam inaequalitates illa tumorum per totam compaginem aliter atque aliter oriuntur; Leucophlegmatiae nomen dedit, quam etiam veteres ὑποσαρκίδιον nominavunt. Sed tamen hydropis nomen absolutè dicitur de ascite, qui solus materiam et formam habet hydropis in abdomine uniformis: et qui occupantur alvo ὑδεριῶντες seu aquosi propriè nominantur &c.

Hydropica mollis assurgit, faciles τοὺς ὑδεριῶντας cum vel aquarum simplex collectio est in amplitudine alvi, superstite viscerum integritate circa initia, unde sperabilis vitae salus: vel cum pravitate est ichorum et eo proveniens ab hepate per omentum affluxus. Atque id, vel cum hepaticae functionis est impeditio: vel etiam sanguificae virtutis abolitio, planè mortifera, unde viscus illud, quod erat ἐγκράλεον, suo fraudatur opere sanguificandi, quo diu vitam tueri non potest: quia tum vitae principio i.e. cordi, nihil aut parum apponitur ad nectar vivificum, et spiritus procreandum. Cui periculo multum adijcitur saevi doloris hydropici cruciatus, ichorum corruptioni, quae inflammationes movet lethales partium circumjacentium, ac summa spirandi angustia, quam edit ichorum transitus ad praecordia, unde oritur tussis quae prius non erat, cum in propinquo mors est &c &c.

Alienatae virtutis hepaticae causa est; vel hepatis ἀτονία; vel μαρασμὸς [διὰ περιφλεύξης] hepatis ἀτονίας proximè ad hepatitim, quae si non facit hydropem; certè prolu-vionem fundit pravorum. μαρασμὸν περίφλευξη vel caecus ignis inducit; vel ardor febrilis. A caeco igne haec primum incommoda veniunt ante hydropem: ἀνορεξία, καχεξία hominum morbo regio foedatorum, sitis et siccitas linguae fucatae flavo et subviridi colore, nocturna febricula parum placida quies membrorum, dejectiones nigrae et pilulatae, more caprarum, urinae multa bile saturatae, cum hypochondrijs sursum intro retractis. Adveniente verò μαρασμῷ et alienata virtute sanguifica, paulatim hydrops assurgit, pravitate ichoris in alveum confluentis et in habitus per viscera et epiploon. Nam causa altera marasmi hepatici, posita in ardore febrili, quo hepar incanduit, aut citò mortifera est, aut hydropifica viae hydropis qui nascitur morbis acutis, majore absorptu, quam ut perferri possit &.

In phlebotomia deleterium est pro alexiterio, vel in pleuritide quidem ipsa, sine jure et loco non adhibetur. Tum in apoplexia praevisa, nec de improviso repente oborta. In hypocondrij inflammatione, quem febris evolvit. In diarrhaea aquosa, nam in chilosa cum febre et siti, locus est phlebotomiae; in febre tertiana, grandi aetate, pulsu vili, cum ἀσφυξία crebra intercalari; urina tenui et aquosa; sic ducta in vesica, non autem proruptura, nec rapta, et alvo male morata in liquidis excrementis. Sed ὑδεριῶντι ab hepate, nulla est aequitas inspirare phlebotomiam: quia non adimit quod intus laedit, sed potius id quod prodest. Nec verò hic revulsio febris accipienda, nec diaphragmatis multum oppressi. quibus accedit, quod gravius multo precatur incommoda aegri, detrahendo calorem nativum una cum sanguine, quàm extinguendo febrilem. & &.

Sed emittendis aquis ex uniformi abdomine, diarrhaea prodest aquosa cruditatis expers, non aquae stagnantis. Tum iterata purgatio hydragoga, sextis quibusque diebus, octavis ac decimis; eo praescripta, ne sit aquarum amplificatio de fonte ipsarum proximi. Sunt enim cathartica diureticis meliora. Cetera autem praesidia quae sunt in manu, tutò et commodè scarificatui scroti, et ustioni cruris dicata sunt, non ipsa paracentesis, in aquarum pravitate a vitio hepatis; cum scilicet pauca est ac turbida urina desperatae salutis, atque in cruciatu saevi doloris, ad vitae dulcedinem tantum abest ut conferat, ut inflammati peritonaei, ac viscerum corruptorum crudelitati multum adjiciat, ex ipsa partis compunctione; quam spiritus ambientis appulsu, quibus efficitur, ut exitum aquae non habeant, intro rapti, ac huc illuc transmissi &.

Ergo hydropi ab hepate neq; Phlebotomia neq; Paracentesis.

Ponebat Joannes Duretus. Ludouici filius. anno Dni. 1584.

Dni Doctores Disputaturi.

M. Stephanus Dufour Med. R.	M. Joannes Cothereau.	M. Claudius Rousselet
M. Claudius Boguin.	M. Claudius Fauuelet.	M. Stephanus Gourmelen.
M. Philipp. Harduyn de St Jaquet	M. Ludouicus Dreux.	M. Joannes Liebaut.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE